SAVONAROLA

LIBRARY OF PRINCETON
FEB 14 1901
THEOLOGICAL SEMINARY.

Division BS1450
Section .51.S26
No.

SAVONAROLA

London: C. J. CLAY AND SONS,
CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS WAREHOUSE,
AVE MARIA LANE.
Glasgow: 50, WELLINGTON STREET.

Leipzig: F. A. BROCKHAUS.
New York: THE MACMILLAN COMPANY.
Bombay: E. SEYMOUR HALE.

SAVONAROLA

MEDITATIONS ON PSALM LI AND PART OF PSALM XXXI IN LATIN

WITH AN ENGLISH TRANSLATION

BY

E. H. PEROWNE, D.D.

MASTER OF CORPUS CHRISTI COLLEGE, CAMBRIDGE.

LONDON
C. J. CLAY AND SONS
CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS WAREHOUSE
AVE MARIA LANE
1900

[*All Rights reserved*]

Cambridge:

PRINTED BY J. AND C. F. CLAY,
AT THE UNIVERSITY PRESS.

Savonarola, after his first "examination," had nearly a month of quiet in the little prison, which, after all, was not less spacious or comfortable than his cell.....This resting time the victim employed in a manner befitting his character and life. He wrote two meditations, one on the Miserere (51st Psalm) and the other on the 31st Psalm, in which he poured out his whole heart in communion with God. With the right hand which had been spared to him in diabolical mercy that he might be able to sign the false papers which were intended to cover him with ignominy, he still had it in his power to leave a record of that intercourse with his heavenly Master in which his stricken soul found strength and comfort. Between the miserable lies of the notary Ceccone, over which those Florentine nobles in the palace.....were wrangling; and the stillness of the little prison hung high in air over their heads, where a great soul in noble trust yet sadness approached its Maker, what a difference!

Lover and friends had forsaken him, honour and credit were gone from him, his very brothers had lifted up their heel against him, and God had not owned, as once he had hoped, his devoted service. But yet God was true, though all men were liars; God was true, though He hid His face. The soldier of Christ had been overborne in the fight, broken and cast down; but not less did he trust in his Leader and His cause, which one day should overcome.....

MRS OLIPHANT, "The Makers of Florence."

PREFACE.

THE personal history of Savonarola, and the circumstances, religious and political, of the times in which he lived, however interesting and instructive as a study, throw but little light on the following Treatises. In main outline and in their broader features, his figure and its surroundings are familiar to most readers. Even those who have not studied the works of Villari and Lucas, have gained some knowledge of the career of this remarkable man from the pictures of him drawn by the novelist. While however these considerations render an introductory biographical notice unnecessary to illustrate the following Expositions, the careful perusal of the Expositions themselves will serve to illustrate the

strong personality, the principles, the conduct and the character of the great Florentine Reformer. The estimation in which these two Treatises were held is attested by the fact that within two years of the death of Savonarola in 1498, no fewer than twenty-one editions are known to have been published[1], and that translations were made of them into no fewer than five European languages, English, French, German, Spanish and Italian, before the middle of the sixteenth century; a fact all the more remarkable when we consider that printing was yet in its infancy, and that in those days *Latin* was still to a great extent the common vehicle of religious thought.

Though in 1522 Martin Luther "published the Exposition of Psalm 51.....and took the opportunity to honour the memory of the noble martyr[2]," it was so

[1] L. Hain, *Repert. Bibliogr.*, Art. on Savonarola.

[2] Gregorovius, *Rome in the Middle Ages*, Engl. Transl., Bk. xiii. p. 436.

far from being identified with the teaching of the German Reformer, or considered heretical in its tendency, that it was employed both on the Continent and in England for devotional use among the people. In Italy it was printed in the vernacular for the consolation of prisoners condemned to death: in England it was embodied in the elementary devotional works called *Primers*, first in the Salisbury Primer of 1538, and subsequently in that of 1543, which is known as Henry VIII.'s Primer. Towards the end of the sixteenth century the popularity of these Treatises seems to have been on the wane, and while copies became more and more scarce through use, no attempt seems to have been made to replace them by fresh editions. To what cause this was due, it is not easy to determine. The various Confessions and Catechisms of the Reformed Churches in England and on the Continent, however valuable, did not by any means cover the same ground, or supply the common people with a devotional commentary on Holy Scripture.

The application of the Divine Word to the inward experience of the individual Christian by one whose devout communings with God and his own heart had been for years a part of his daily life, could not fail to appeal to the sympathies of men of all classes and nationalities. The text of Holy Scripture was accessible as yet only to the few, and had it been otherwise, men might, like the eunuch of Candace, have craved an expositor. On the other hand, a Treatise on experimental Christianity would have lacked authority, and would have been limited by the spiritual and natural conditions of the writer. Savonarola in his Exposition keeps close to the inspired text, while drawing therefrom stores of Divine comfort, warning, guidance and encouragement, to meet the various requirements of the awakened soul.

We have said that light is thrown on the character and conduct of Savonarola by his writings. The dauntless champion of Christian morality, the fearless exposer

of wrong-doing in high places, the advocate of the poor and oppressed against mighty injustice, the proclaimer of an almost forgotten Gospel, the ambassador, solitary as he deemed himself, like Elijah and the Holy Baptist, from the God of Heaven to a corrupt and godless world—whence did he derive his strength, his courage, his faithfulness even unto death? As we read these Treatises we find the answer—an answer which in every age of the Church, and certainly in our own, might well be taken to heart by the soldiers and servants of Christ—from *The Inspired Scriptures.* What first strikes the reader is the facility of quotation from Scripture, from the Old Testament as much as from the New, which appears in every page. But it is not merely verbal quotation. Savonarola's knowledge of the Bible is not that of the student or of the theologian. Scripture is God's message to *him*; he is familiar with its language, he is saturated with its spirit. As he ponders it, it brings him into the Divine Presence, and through it he holds communion

with his God. It is as though he read the Bible on his knees, turning each sentence into a prayer for mercy, and help, and blessing. That which had been the secret of his strength in active life is the light of his prison cell, his hope in the prospect of the martyr's crown, his strong consolation when his work might well seem to have been vain and fruitless, and the hour of the persecutors' victory to be imminent.

It is with the hope that these Expositions, which once occupied an important place in the religious literature of Europe at the time of the Reformation, may prove useful to some whose lot is cast in a distant and widely different age, but who yet are men of like need, that this reprint has been undertaken.

Among the MSS in the library of Corpus Christi College, Cambridge, is one containing the Treatises here

reproduced; and it has been taken as the basis of the Latin text. Where the reading seemed to be corrupt or obscure, recourse was had to printed editions, while very rarely a slight conjectural emendation has been adopted. The quotations from Scripture are generally from the text of the Latin Vulgate; these are printed in italics. In cases of mere allusion, Savonarola's own rendering has been followed, and a reference to the text subjoined.

To have reproduced any one of the English versions would have involved the alternative of adopting English words and forms of expression now obsolete, or the substitution for these of modern phraseology.

Instead of either of these courses, it was thought better to attempt a new translation, in the preparation of which constant regard was had to the earlier English versions. The aim has been to give a rendering of the Latin as literal as the idioms of the two languages would allow, thus preserving as much as possible the crispness and terseness of the original.

The Editor gratefully acknowledges the assistance kindly rendered to him by Mr F. J. H. Jenkinson, University Librarian, Rev. J. O. F. Murray, Fellow and Tutor of Emmanuel College, Rev. A. W. T. Perowne, and Rev. F. G. Masters.

E. H. P.

August, 1900.


Reuerendi patris fratris Ieronimi Sauonarole de ferraria ordinis predicatorū exposicio in psalmū quinquagesimū: dum esset in vinculis

Infelix ego omniū auxilio destitutus: qui celum terramq; offendi: quo ibo: quo me vertam: ad quē confugiam: quis mei miserebit? Ad celum oculos leuare non audeo quia ei grauiter peccaui: in terra refugiū non inuenio quia ei scandalū fui. Quid igit faciā? Desperabo? Absit. Misericors est deus: pius est saluator meus. Soluetur igitur deus refugiū meū: nec non despicaet opus suū: non repellet imaginem suā. Ad te igitur piissime deus tristis ac meritis vexatus: qm tu solus spes mea: tu solus refugium meū. Quid autem dicam tibi cū oculos eleuare non audeā? Verba dolore effundā: misericordiam tuā implorabo. Dicā.

To face p. 1.

FACSIMILE OF MS. IN LIBRARY, CORP. CH. COLL.

1 REVERENDI patris, fratris Ieronimi Savonarolæ de Ferraria, Ordinis Prædicatorum, expositio in Psalmum quinquagesimum, dum erat in vinculis.

INFELIX ego omnium auxilio destitutus, qui cælum terramque offendi, quo ibo? quo me vertam? ad quem confugiam? quis mei miserebitur? Ad cælum oculos levare non audeo, quia ei graviter peccavi. In terra refugium non invenio, quia ei scandalum feci. Quid igitur faciam? Desperabo? Absit. Misericors est Deus; pius est Salvator meus. Solus igitur Deus refugium meum; ipse non despiciet opus suum, non repellet imaginem suam. Ad te igitur, piissime Deus, tristis ac mœrens venio; quoniam tu solus spes mea, tu solus refugium meum. Quid

autem dicam tibi cum oculos elevare non audeam? Verba doloris effundam, misericordiam tuam implorabo. Dicam,

MISERERE *mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Deus qui lucem habitas inaccessibilem, Deus absconditus, qui oculis corporeis videri non potes, nec intellectu creato comprehendi, nec lingua hominum seu angelorum explicari. Deus meus, te incomprehensibilem quæro, te ineffabilem invoco, quicquid es qui ubique es. Scio enim te summam esse rem; si tamen es res et non potius omnium rerum causa; si tamen es causa. Non enim invenio nomen quomodo tuam ineffabilem maiestatem nominare queam. Deus, inquam, qui es quicquid in te est, tu es enim ipsa sapientia tua, bonitas tua, potentia tua, et summa felicitas tua. Cum itaque sis misericors, quid es nisi ipsa misericordia? Quid autem sum nisi ipsa miseria? Ecce ergo 2

o misericordia Deus, ecce miseria coram te. Quid facies, o misericordia? Certe opus tuum. Nunquid poteris recedere a natura tua? Et quid opus
3 tuum? miseriam tollere, homines miseros sublevare. Ergo miserere mei, Deus. Deus, inquam, misericordia, tolle miseriam meam, tolle peccata mea, etenim sunt summa miseria mea. Subleva me miserum; ostende in me opus tuum; exerce in me virtutem tuam. Abyssus abyssum invocat; abyssus miseriæ invocat abyssum misericordiæ; abyssus peccatorum invocat abyssum gratiæ. Maior est abyssus misericordiæ quam abyssus miseriæ. Absorbeat ergo abyssus abyssum: absorbeat abyssus misericordiæ abyssum miseriæ. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam: non secundum misericordiam hominum quæ parva est, sed secundum tuam quæ magna est, quæ immensa est, quæ incomprehensibilis est, quæ omnia peccata in immensum excedit. Secundum illam magnam misericordiam tuam qua sic

dilexisti mundum ut Filium tuum Unigenitum dares. Quæ maior venia esse potest, quæ maior caritas? Quis desperare potest? quis non confidere? Deus factus est homo, et pro hominibus crucifixus 4
est. Miserere ergo mei, Deus, secundum hanc misericordiam tuam qua Filium tuum pro nobis tradidisti, qua per ipsum peccata mundi abstulisti, qua per crucem eius mentes hominum illuminasti, qua ea quæ in cælis et quæ in terris per ipsum instaurasti. Lava me, Domine, in sanguine eius; illumina me in humilitate eius; instaura in resurrectione eius. Miserere mei, Deus, non secundum parvam misericordiam tuam: parva enim misericordia tua est, cum homines a corporalibus miseriis sublevas, magna autem quando peccata dimittis et homines per gratiam tuam super altitudinem terræ sustollis. Ita, Domine, miserere mei secundum hanc magnam misericordiam tuam, ut me ad te convertas, ut peccata mea deleas, ut per gratiam tuam me iustifices.

ET *secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Misericordia tua, Domine, est abundantia pietatis tuæ qua miseros pie respicis. Miserationes autem tuæ sunt opera et processus misericordiæ tuæ. Venit Maria Magdalena ad pedes tuos, bone Iesu: lacrimis eos lavit, capillis abstersit: indulsisti ei et in pace eam remisisti: hæc una miseratio tua, Domine. Petrus negavit et cum iuramento detestatus est te. Respexisti eum: amare flevit: indulsisti ei, et principem Apostolorum eum confirmasti: hæc iterum miseratio tua, Domine. Latro in cruce unico verbo salvatus est. Paulus in persecutionis fervore vocatus, statim Spiritu Sancto repletus est. Hæ sunt miserationes tuæ, Domine. Deficiet omne tempus, si omnes miserationes tuas memorare vellem. Quot enim iusti, tot miserationes. Nullus gloriari potest in semetipso. Veniant omnes iusti sive in cælo sive in terra, et interrogemus eos coram te an in virtute sua salvi

facti sint: certe omnes uno corde, uno ore, respondebunt, Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam super misericordia tua et veritate tua. 6
Nec enim in gladio suo possiderunt terram; et brachium eorum non salvavit eos: sed dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis; id est, non ex meritis eorum, non ex operibus salvati sunt, ne quis gloriari possit, sed quia placitum est coram te. Quod et expressius de se propheta dixit cum ait, Salvum me fecit quoniam voluit me. Cum itaque tu sis idem Deus apud quem non est transmutatio neque vicissitudinis obumbratio, et nos creaturæ tuæ sicut et patres nostri qui ex concupiscentia nati sunt peccatores sicut et nos, unusque sit mediator Dei et hominum Christus Iesus qui manet in æternum, cur miserationes tuas non effundis super nos, quemadmodum effudisti super patres nostros? An oblitus es nostri? an nos soli peccatores? an non pro nobis mortuus est Christus?

an nullæ amplius supersunt misericordiæ? Domine Deus noster, te rogo, te obsecro; dele iniquitatem
7 meam secundum multitudinem miserationum tuarum. Nam multæ et infinitæ sunt miserationes tuæ; una mihi sufficit; ut videlicet secundum multitudinem miserationum tuarum deleas iniquitatem meam; ut sicut innumerabiles peccatores traxisti, suscepisti, et iustos reddidisti, ita me trahere, suscipere, et iustum per gratiam tuam reddere digneris. Secundum ergo multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Absterge cor meum ut omni iniquitate deleta, ac omni immunditia expulsa, fiat sicut tabula munda in qua digitus Dei legem caritatis scribat, cum qua nulla habitare potest iniquitas.

AMPLIUS *lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me.* Fateor, Domine, semel delesti iniquitatem meam; delesti iterum; lavasti me millies. Adhuc lava me ab iniquitate mea,

quia iterum cecidi. Numquid ad certum numerum parcis homini peccatori? Qui Petro interroganti Quotiens peccabit in me frater meus et dimittam ei, 8
septies? respondisti, Non dico tibi septies sed et septuagies septies, numerum finitum pro infinito accipiens. Numquid ergo indulgentiam separabis ab homine? nonne maior Deus homine, nonne melior homine? quinimmo Deus magnus Dominus, et universa vanitas omnis homo vivens: et solus Deus bonus, omnis autem homo mendax. Nonne dixisti, Quacumque die ingemuerit peccator pro peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius? Ecce ego peccator ingemisco, quia corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Miser factus sum et curvatus sum usque in finem; tota die contristatus ingredior ad te. Afflictus sum et humiliatus sum valde: rugio a gemitu cordis mei. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Cor meum conturbatum est in me: dereliquit

me virtus mea et lumen oculorum meorum et
9 ipsum non est mecum. Cur ergo, Domine, non deles iniquitatem meam? Etsi iam delesti eam secundum multitudinem miserationum tuarum, amplius lava me ab iniquitate mea: adhuc enim minime perfecte mundatus sum: perfice opus tuum. Tolle culpam universam: tolle reatum: adauge lumen: accende cor meum caritate tua: expelle timorem, quia perfecta caritas foras mittit timorem. Amor mundi, amor carnis, amor gloriæ, amor proprius prorsus a me recedant. Amplius, magis ac magis, lava me ab iniquitate mea, quia contra proximum offendi. Et a peccato meo quo Deum offendi munda me, ut non solum culpam et reatum, sed etiam peccatorum fomitem deleas. Lava me, inquam, aqua gratiarum tuarum, aqua de qua qui biberit non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Lava me aqua lacrimarum mearum, lava me aqua
10 scripturarum tuarum, ut inter eos conumerari valeam

quibus dixisti, Iam vos mundi estis propter sermonem meum.

QUONIAM *iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper.* Quamvis enim ex intuitu misericordiæ tuæ et miserationum tuarum, Domine, fiducialiter ad te confugiam, non tamen venio sicut Phariseus qui secus apud te orabat, immo seipsum laudabat et proximum suum despiciebat, sed sicut publicanus qui nec audebat ad cælum oculos levare. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Dum enim peccata mea penso, non audeo sursum oculos levare, sed cum publicano humiliatus dico, Deus, propitius esto mihi peccatori. Nam inter spem et metum anima mea fluctuat, et modo timore peccatorum quæ in me cognosco despero, modo spe misericordiæ tuæ sublevor. Verum quia maior est misericordia tua quam miseria mea, semper in te, Domine, sperabo et misericordias tuas in æternum 11

cantabo. Scio enim quod non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, sed ut iniquitatem suam cognoscat, sed ut peccatum deserat et ad te veniat et vivat. Deus meus, da mihi ut in te vivam. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Scio enim quam gravis sit, quam multa, quam perniciosa. Non ignoro eam, non abscondo, sed eam ante oculos meos sisto, ut lavem eam lacrimis, ut confitear adversum me iniustitiam meam Domino; nam et peccatum meum quo superbe contra te egi contra me est semper, ideo contra me quia contra te peccavi. Vere contra me quia contra animam meam, quia ante iudicem semper me accusat, quia semper et ubique me clamat, et adeo contra me, ut sit semper contra me opponens se mihi ne ad te mea transeat oratio, ut a me tollat misericordiam tuam, ut eam impediat ne ad me transire
12 possit. Ideo contremisco, ideo ingemisco, ideo misericordiam tuam imploro. Sicut ergo, Domine, tu mihi donasti cognoscere iniquitatem meam et flere peccatum

meum, ita perfice contritionem meam, imple confessionem meam, produc ad finem satisfactionem meam. Omne enim datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.

TIBI *soli peccavi et malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris.* Nimirum tibi soli peccavi, quia mihi præcepisti ut diligerem te propter te, et creaturarum amorem ad te referrem: ego autem dilexi creaturam magis quam te, diligens eam propter se. Quid est autem peccare nisi amore inhærere creaturæ propter se? Quid autem hoc nisi facere contra te? Certe qui amat creaturam propter se, facit creaturam deum suum. Ego itaque tibi soli peccavi, quia creaturam deum meum constitui, abieci ego te, et tibi soli iniuriam feci. Non enim contra aliquam creaturam 13
peccavi, etsi finem meum in re creata constitui, quia non præceptum mihi fuit ut aliquam creaturam dili-

gerem propter se. Si enim mihi mandasses ut angelum solum propter se amarem, et ego pecuniam propter se dilexissem, utique angelo peccassem. At cum tu solus diligendus sis propter te, et creatura amanda sit in te et ad te, equidem tibi soli peccavi quando propter se creaturam amavi. Sed quod deterius est, et malum coram te feci. Non enim erubui peccare coram te. O Deus, quot peccata commisi coram te, quæ nullo pacto coram hominibus perpetrassem, immo quæ nullo modo homines scire voluissem. Timui magis homines quam te: quia cæcus eram et cæcitatem amabam, ideo nec videbam nec considerabam te. Oculos solum carnis habebam; ideo solum homines qui caro sunt cernebam eosque timebam. Verum tu omnia peccata mea intuebaris et
14 enumerabas ea; ideo nec ea celare tibi nec tergiversari nec fugere a facie tua potero. Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Quid igitur faciam? quo me vertam? quem inveniam defensorem? quem, ob-

secro, nisi te, Deus meus? Quis adeo bonus, quis ita pius, quis tam misericors, qui pietate omnes creaturas incomprehensibiliter superas? Tibi enim proprium est misereri et parcere, qui omnipotentiam tuam maxime parcendo et miserando manifestas. Fateor, Domine, tibi soli peccavi et malum coram te feci: miserere mei et omnipotentiam tuam manifesta in me. *Ut iustificeris in sermonibus tuis.* Nam tu dixisti, Non veni vocare iustos sed peccatores ad pænitentiam. Iustificare, Domine, in sermonibus tuis. Voca me, suscipe me, da mihi agere fructum dignum pænitentiæ, propter hoc enim crucifixus es, propterea mortuus et sepultus. Dixisti etiam, Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Iustificare in sermonibus tuis, 15
trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Dixisti item, Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Ecce venio ad te onustus peccatis, laborans die ac nocte in gemitu cordis mei: refice me, Domine, ut iustificeris in

sermonibus tuis et vincas cum iudicaris: nam multi dicunt, Non est salus illi in Deo eius, Deus dereliquit eum. Vince, Domine, istos, cum iudicaris ab eis, ne me derelinquas usquequaque, da mihi misericordiam et salutem, et victi sunt. Aiunt enim quod mei non misereberis, quod me proiicies a facie tua, quod me amplius non suscipies. Ita iudicaris ab hominibus, ita de te loquuntur homines; hæc sunt eorum iudicia. Sed tu pius, tu misericors, miserere mei et vince eorum iudicia; ostende in me misericordiam tuam; laudetur in me pietas tua; fac me unum de vasis misericordiæ tuæ, ut iustificeris in sermonibus tuis
16 et vincas cum iudicaris. Te enim homines iudicant rigidum et severum; vince tua pietate et dulcedine iudicia eorum, ut discant homines peccatoribus misereri, et accendantur delinquentes ad pænitentiam, videntes in me pietatem et dulcedinem tuam.

ECCE enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea. Ne respicias, Domine, gravitatem peccatorum meorum, ne consideres multitudinem, sed agnosce figmentum tuum, recordare quoniam pulvis sum et omnis caro fœnum. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea. Mater, inquam, carnalis ex concupiscentia me concepit et in ea peccatum originale contraxi. Quid autem est peccatum originale nisi privatio iustitiæ originalis et rectitudinis totius hominis? Ideo homo conceptus et natus in huiusmodi peccato totus obliquus est, totus curvus; caro concupiscit adversus spiritum, ratio debilis est, voluntas infirma, homo fragilis et similis vanitati, sensus deci- 17
piunt eum, imaginatio fallit, ignorantia ducit eum per invium, infinita habet obstacula quæ ipsum a bono retrahunt et ad malum impellunt. Peccatum igitur originale radix est omnium peccatorum, fomes omnium iniquitatum. Quamvis enim in quolibet homine ex

natura sua sit unum, virtute tamen est omnia peccata. Vides itaque, Domine, quid sum et unde sum; in peccato enim originali, quod omnes iniquitates et omnia peccata continet, conceptus sum, et in eo concepit me mater mea. In peccatis ergo totus natus et laqueis undique circumdatus, quomodo effugere potero? Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio, quia invenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati et mortis. Eo itaque magis pietas tua me sublevet, quo me fragiliorem et tot laqueis circumdatum intuetur. Quis enim non misereatur in-
18 firmo, quis non compatiatur languido? Veni, veni, dulcis Samaritane, et vulneratum semivivum subleva, mea vulnera cura, vinum et oleum infunde, pone me super iumentum tuum, duc in stabulum, commenda me stabulario, profer duos denarios et dic ei, Quicquid supererogaveris ego cum rediero reddam tibi.

ECCE enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Veni, dulcissime Samaritane. Ecce enim veritatem dilexisti; veritatem, inquam, promissionum quas humano generi fecisti. Eas nimirum dilexisti, quia eas fecisti et servasti. Nam tuum diligere ipsum est benefacere. In te ipso enim immutabilis es, nec, sicut nos, modo amas modo non amas, ut actus tuæ dilectionis transeat et redeat; sed tu es amor qui nunquam mutatur. Deus enim caritas est. Tuam itaque diligere creaturam est ei benefacere, et quibus melius facis hos magis diligis. Quid est ergo tuam diligere veritatem, nisi facere et 19
servare veritatem? Abrahæ promisisti filium cum iam esset senex, et Saræ sterili et vetulæ promissionem servasti, quia veritatem dilexisti. Filiis Israel terram fluentem lac et mel spopondisti, et tandem tradidisti, quia veritatem dilexisti. David pollicitus es dicens, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam; factum est, quia veritatem dilexisti. Innumerabiles

fuere promissiones tuæ in quibus semper fidelis fuisti. Quare semper fidelis fuisti? Quia veritatem dilexisti. Peccatoribus ad te confugientibus veniam et gratiam promisisti, et neminem unquam fraudasti, quia veritatem dilexisti. Filius ille prodigus qui abiit in regionem longinquam et dissipavit universam substantiam suam vivendo luxuriose, ad se reversus, venit ad te dicens, Pater, peccavi in cælum et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis. Cum adhuc longe esset, oculis tuæ pietatis intuitus es eum, occurristi ei, cecidisti super collum eius et osculatus es eum; protulisti stolam primam, annulum in manum eius et calceamenta in pedes eius posuisti, vitulum saginatum occidisti, totam domum lætificasti, dicens, Lætemur et epulemur, quia hic filius meus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est. Cur hæc, Domine Deus meus? nempe quia veritatem dilexisti. Dilige ergo, Pater misericordiarum, hanc veritatem in me qui ad

te revertor de regione longinqua. Occurre mihi et osculum oris tui da, redde prima ornamenta, trahe me in domum tuam, occide vitulum saginatum, ut in me lætentur omnes qui sperant in te, et pariter epulemur in conviviis spiritualibus. Num, Domine, mihi soli non custodies hanc veritatem? Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Equidem non observabis iniquitates, quia veritatem dilexisti, dilexisti quidem immenso amore. Quæ namque est veritas quam dilexisti? nonne Filius tuus qui dixit, Ego sum via, veritas, et vita? Ipse enim est veritas a qua omnis veritas in cælo et in terra nominatur. Hanc igitur dilexisti et in ea sola tibi complacuisti. Et quid est quod in ea sola tibi complacuisti? Quia eam solam sine macula invenisti et pro peccatoribus eam mori voluisti. Custodi ergo, Deus, hanc veritatem. Ecce ego peccator magnus in quo tu custodies eam, cui tu indulges peccata multa, quem sanguine Christi tu abluas, quem per passionem eius redimas. 21

Cur, Domine, hanc de Filio tuo notitiam, cur hanc de eo fidem tradidisti mihi? Num ut maiori afficiar dolore videns redemptionem meam et minime attingens eam? Absit. Sed ut intelligens mihi paratam veniam, apprehendam illam per Christi gratiam.
22 Redime ergo me, Domine, nam incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, ut hæc ipsa cognitio me adiuvet et ad salutem perducat. Hæc profecto non cognoverunt philosophi; hæc fuerunt eis incerta; hæc erant eis penitus occulta; hæc ante incarnationem Filii tui, exceptis paucis quos tu dilexisti, nullus hominum cognovit. Scrutatores cordis curiosissimi —sapientes dico huius seculi—trans cælum oculos levaverunt et hanc tuam sapientiam invenire non potuerunt, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis, id est humilibus piscatoribus et sanctis prophetis tuis, qui ea nobis tradiderunt. Si ergo incerta et occulta sapientiæ tuæ scripturarumque tuarum manifestasti mihi, cur frustra

ea cognosco? Frustra autem ea cognosco, si me ad salutem non perducunt. Nam et philosophi cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus 23
suis; dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Num de numero istorum me esse patieris? Absit. Tu es enim ipsa misericordia, quæ pænitentes numquam deserit. Parce ergo, Domine, parce famulo tuo, et iube ipsum esse in numero servulorum tuorum, ut incerta et occulta sapientiæ tuæ quæ manifestasti ei ducant eum ad fontem sapientiæ qui est in excelsis, ut lauderis in opere misericordiæ tuæ quam feceris cum servo tuo, Domine, qui numquam deseris sperantes in te.

SPERGES me, Domine, hyssopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor. Quia ergo, Domine, veritatem dilexisti et incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, spem magnam

concepi, et confido quod non repelles me a facie tua, sed asperges me hyssopo et mundabor. Hyssopus est herba humilis, calida et odorifera; quæ quid aliud significat quam Filium tuum Dominum nostrum Iesum
24 Christum, qui humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis; qui calore suæ immensæ caritatis dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; qui odore bonitatis et mansuetudinis suæ atque iustitiæ totum mundum suavitate replevit? Hoc ergo hyssopo asperges me, cum virtutem sanguinis eius effundes super me, cum per fidem Christus habitabit in me, cum per dilectionem ei coniunctus fuero, quando humilitatem eius et passionem imitabor. Tunc mundabor ab omnibus immunditiis meis; tunc lavabis me lacrimis meis a Christi amore fluentibus. Tunc laborabo in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum lacrimis meis, stratum meum rigabo. Tunc ergo lavabis me et super nivem dealbabor. Nix enim candida est et frigida. Itaque,

Domine, si me hyssopo asperseris, super nivem dealbabor; quia tua maxime luce perfundar quæ omnem corporalem superat candorem, et per eam amore cælestium bonorum accensus, omnes carnis affectus relinquam, frigidus ad terrena et ad cælestia inflammatus.

AUDITUI meo dabis gaudium et lætitiam: et exultabunt ossa humiliata. Tunc enim, Domine, orabo ad te: et mane, id est in initio lucis tuæ, exaudies vocem meam. Audiamque quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam. Dabisque mihi pacem, Domine; pacem dabis mihi, quia in te speravi. Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, cum audiam quod audivit Maria. Et quid audivit Maria? de illa loquor quæ flevit secus pedes tuos. Quid igitur hæc audivit? Fides tua te salvam fecit; vade in pace. Audiam quoque quod audivit latro. Hodie mecum eris

in Paradiso. Gaudium itaque mihi erit de remissione peccatorum, lætitia de promissione bonorum. Nunquid non gaudebo et non lætabor quando reddes duplicia pro omnibus peccatis meis? Tunc gustare incipiam quoniam dulcis es, Domine: tunc discam in
26 cælestibus habitare: tunc dicam cum propheta, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Tunc gaudebo et lætabor, et exultabunt ossa humiliata. Quid sunt ossa quæ carnem sustinent, nisi animæ rationalis vires, quæ carnis nostræ fragilitatem portant, ne in omnia vitia fluat, ne totus homo efficiatur caro penitusque tabescat? Ossa ergo hæc humiliata sunt quia nimis debilitata est ratio et voluntas ad malum valde prona. Iamiam non caro obedit rationi, sed ratio carni. Vitiis resistere non possum quia ossa humiliata sunt mea. Et quare humiliata? Quia reliquerunt te fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas; quia gratia tua non sunt

repletæ, sine qua nemo potest bene vivere. Sine te enim nihil possumus facere. Confidebant in virtute sua quæ non erat virtus; ideo defecerunt in stultitia sua. Veniat ergo virtus tua, Domine, et exultabunt 27
ossa humiliata. Veniat gratia tua, veniat fides quæ per dilectionem operatur; veniant virtutes et dona, et exultabunt ossa humiliata. Exultabit quippe ratio, lætabitur memoria, gaudebit voluntas; nimirum quia extra se salient dum ad bona opera prodibunt; virtute magna exercebuntur in eis nec deficient, sed, te iuvante, ad finem usque perducentur.

VERTE faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele. Cur, Domine, respicis peccata mea? cur numeras ea? cur adeo diligenter consideras? Nunquid nescis quia homo tanquam flos agri? Cur non respicis potius in faciem Christi tui? heu me miserum! cur video te mihi iratum? Peccavi, fateor, sed tu benignus miserere

mei. Averte faciem tuam a peccatis meis. Facies tua cognitio tua est. Averte itaque cognitionem tuam a peccatis meis. Non loquor de cognitione simplicis apprehensionis, qua omnia semper vides, sed de
28 cognitione approbationis et reprobationis, qua opera iustorum approbas et peccata impiorum reprobando condemnas. Noli mea peccata ita cognoscere, ut mihi imputes; sed averte faciem tuam a peccatis meis ut per misericordiam tuam deleantur. Respice, Domine, animam quam creasti; respice imaginem tuam quam formasti. Tu enim creasti eam ad imaginem tuam, et ego miser superinduxi imaginem diaboli. Averte, Domine, faciem tuam ab imagine diaboli, ut non irascaris mihi; et respice imaginem tuam ut miserearis mei, o misericors Domine. Zacchæum ascendentem in arborem sycomorum respexisti, et in domum eius descendisti. Quod plane nunquam fecisses, si imaginem diaboli in eo respexisses. Sed quia imaginem tuam in eo vidisti, compassus es ei,

et salutem ei tribuisti. Ipse male ablata restituere quadruplicata et dimidium bonorum suorum pauperibus erogare promisit, et consecutus est misericordiam et salutem. Ego me totum trado tibi; nihil mihi 29
reservo; tibi semper servire sincero corde promitto. Vota mea reddam omnibus diebus vitæ meæ. Cur ergo, Domine, in me quoque non respicis imaginem tuam? Ut quid adhuc peccata consideras? Averte, obsecro, faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele. Omnes ergo dele ut nulla remaneat. Scriptum est enim, Qui totam legem servaverit, in uno autem offenderit, factus est omnium reus, id est, reus Gehennæ, quæ est pœna omnium peccatorum quæ ducunt ad mortem. Dele ergo omnes iniquitates; ne ulla te offendat quæ omnium reum facit.

OR mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Cor meum dereliquit me, nunquam de me cogitat; suæ

salutis penitus oblitum, per devia vagatur, peregre profectum est, sequitur vanitates, et oculi eius in finibus terræ. Vocavi ipsum et non respondit mihi;
30 abiit, periit; in peccatis venundatum est. Quid ergo, Domine, quid dicam? Cor mundum crea in me, Deus, cor humile, cor mansuetum, cor pacificum, cor benignum, cor pium, quod nulli inferat malum, quod malum pro malo non reddat, sed pro malo bonum; quod te super omnia diligat, de te semper cogitet, de te loquatur, tibi gratias agat, in hymnis et canticis spiritualibus delectetur, in cælis conversetur. Cor tale crea in me, Deus: ex nihilo produc illud, ut quale non potest esse per naturam, fiat tale per gratiam. Hæc enim abs te solo per creationem in animam venit; hæc est forma cordis mundi; hæc omnes virtutes secum trahit, omnia vitia pariter expellit. Cor itaque mundum per gratiam tuam crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Spiritus enim tuus deducet me in viam rectam; quia me a terrenis affec-

tibus purgabit et ad cælestia sublevabit. Amans enim et amatum sunt unum. Qui ergo amat corpora corpus est, qui vero spiritum diligit spiritus est. Da mihi 31
spiritum te amantem, teque, summum Spiritum adorantem. Nam spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare. Da spiritum rectum, non quæ sua sed quæ tua sunt quærentem. Innova spiritum rectum in visceribus meis: innova, quia primum quem mihi dederas peccata mea extinxerunt. Da spiritum novum qui innovet quod inveteratum est. Nam anima mea spiritus est, et abs te ita creata ut in se recta sit. Ex natura enim sua te super se amat, et propter te omnia desiderat. Nam amor naturalis rectus est eo quod a te est; sed ex prava voluntate sua in peccatis inveteratus est, et amorem naturalem contabescere facit. Innova ergo hunc spiritum et hunc amorem per gratiam tuam, ut recte incedat secundum naturam suam. Innova in visceribus meis, ut intus radices ita firmet, ut nun-

quam amplius possint evelli. Innova, inquam, in vis-
32 ceribus meis, ut semper amore cælesti me urat, semper me faciat ad te suspirare, te iugiter amplecti, te nunquam deserere.

Ne proiicias me a facie tua, et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. Ecce, Domine, sto ante faciem tuam ut inveniam misericordiam tuam. Sto ante bonitatem et benignitatem tuam. Expecto gratam responsionem tuam: ne proiicias me a facie tua confusum. Quis unquam, Domine, venit ad te et confusus abscessit? Quis rogavit faciem tuam et vacuus abiit? Certe abundantia pietatis tuæ et merita supplicum excedis et vota, pluraque præstas quam homines desiderare aut intelligere possint. A seculo non est auditum quod venientem ad te proieceris a facie tua confusum. Numquid, Domine, primus ero a facie tua proiectus? An a me vis initium habere confundendi venientes ad te? Num amplius non vis

misereri et parcere? Absit. Cananea te sequebatur; clamabat, vocibus aerem implebat, discipulos tuos ad compassionem provocabat: et tu tacebas. Ipsa 33
perseverabat pulsans: te adorabat dicens, Domine, adiuva me. At tu nec sic respondebas. Discipuli rogaverunt pro ea dicentes, Dimitte eam quia clamat post nos. Quid, obsecro, quid, Domine, eis respondisti? Equidem quod inaniter flebat, quod frustra laborabat. Dixisti enim, Non sum missus nisi ad oves quæ perierant domus Israel. Quid hoc audito debuit Cananea facere? Utique de gratia quam desiderabat desperare. Nec tamen desperavit; sed confidens de tua misericordia, iterum atque iterum rogabat dicens, Domine adiuva me. Cui importune insistenti, Domine, respondisti, Non est bonum tollere panem filiorum et mittere canibus: ac si patenter dixisses, Recede a me. Vos Cananei canes estis: immundi estis: idololatræ estis: dona gratiarum cælestium ad vos non pertinent: non debeo ea tollere

Iudæis Deum verum colentibus et dare vobis canibus,
34 dæmones adorantibus. Quid nunc facies, o Cananea? Erubesce iam et recede, quia iratus est Dominus non solum tibi sed et universæ genti tuæ. Quis, Domine Deus, ad hæc tua verba confusus non recessisset? quis non submurmurasset? quis non te crudelem iudicasset? Et tamen hæc ipsa mulier in oratione perstitit; spem non amisit; verba dura non ægre tulit; non irata est, sed magis humiliata; et in petitione persistens confidenter dixit, Domine, verum est quod dicis; sed panem non peto; gratias filiorum non postulo; quia catula ego sum. Micas peto quæ cadunt de mensa filiorum tuorum: ipsi miraculis et gratiis abundent: mihi autem hæc minima gratia non negetur, ut filia mea a dæmonio liberetur; nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Ecce, quanta fides! quanta fiducia! quanta humilitas! Ideo tu non iratus de eius importunitate, sed gavisus de illius virtute dixisti, O

mulier, magna est fides tua ; fiat tibi sicut vis. Cur 35
hæc scripta sunt, Domine Deus meus ? Ut discamus
in te sperare ; ut in oratione pie et humiliter perse-
veremus. Vis dare ; sed regnum cælorum vim patitur
et violenti rapiunt illud. Quæcunque enim scripta sunt
ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam
et consolationem Scripturarum spem habeamus. Ne
ergo proiicias me a facie tua, Domine, qui die noc-
tuque ante faciem tuam flens et eiulans sto, non ut
me liberes a dæmonii oppressione corporali, sed ut
animam meam eripias ab eius potestate spirituali.
Ne me confundas, bone Iesu, quia in te solo spero.
Non est mihi salus nisi in te, Domine Deus meus.
Omnes enim dereliquerunt me : nam et fratres et
filii mei abiecerunt me ; viscera mea abominantur me :
neminem amplius habeo adiutorem præter te. Ne
ergo proiicias me a facie tua : et Spiritum Sanctum
tuum ne auferas a me. Nemo potest dicere Dominum 36
Iesum nisi in Spiritu Sancto. Itaque si ego invoco

te, hoc facio in Spiritu Sancto. Si de peccatis commissis doleo, si veniam peto, hoc certe facio in Spiritu Sancto. Ideo te obsecro, Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me; ut mecum sit et mecum laboret. Nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed Spiritus adiuvat infirmitatem nostram et postulat pro nobis, id est, postulare nos facit, gemitibus inenarrabilibus. Hunc ergo Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me; ut me orare doceat et in labore me adiuvet, faciatque in orationibus et lacrimis persistere, ut tandem inveniam gratiam coram te, et serviam tibi omnibus diebus vitæ meæ.

REDDE *mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.* Rem magnam peto, Domine, quoniam tu es Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes Deos. Tibi iniuriam facit qui a te parva petit. Parva sunt omnia quæ
37 transeunt; parva sunt omnia corporalia, magna et pre-

ciosa spiritualia. Tolle spiritum: tolle animam a corpore: quid remanet nisi stercus, quid nisi pulvis et umbra? Ergo tantum distat inter spiritum et corpus, quantum inter corpus et umbram eius. Qui igitur petit a te corporea, parva petit, qui vero spiritualia, magna profecto postulat, maxima autem qui tui salutaris lætitiam petit. Quid est enim salutare tuum, nisi Iesus Filius tuus? Hic est verus Deus et vita æterna. Cur ergo a te Patre immenso et liberalissimo hoc salutare non petam, quem pro me super lignum tradidisti? Tu enim mihi obtulisti: quare petere Ipsum erubescam? Maximum et infinitum munus est: non sum ego tanto munere dignus: te tamen decet tam magna dare. Propter hanc itaque ineffabilem pietatem audeo ad te fiducialiter accedere, et salutaris tui lætitiam petere. Nam si a patre carnis suæ petierit quispiam filius piscem, nunquid porriget ei serpentem? et si petierit ovum, nunquid dabit ei 38
scorpionem? et si petierit panem, numquid dabit ei

lapidem ? Si ergo patres carnales, cum mali sint et peccatores, norunt bona eis a te data dare filiis suis, quanto magis tu, Pater cælestis, qui per essentiam bonus es, dabis Spiritum bonum petentibus te. Ecce filius tuus de regione longinqua reversus dolens et pænitens petit a te piscem fidei. Sicut enim piscis latitat sub aquis, ita fides est de eis quæ non videntur. Petit, dico, fidem veram, ut lætetur in salutari tuo. Nunquid porriges ei serpentem ? Nunquid dabis ei infidelitatis venena de tortuoso et antiquo serpente diabolo proficiscentia ? Peto a te Domine ovum spei ; ut sicut ex ovo speratur pullus, ita ex spe ad visionem salutaris tui mihi venire concedas ; ut de ipsa spe egrediatur visio, quasi pullus de ovo. Peto ovum spei, ut interim spe ipsa sublevetur anima mea in hac
39 lacrimarum valle, et lætetur in salutari tuo. Nunquid dabis mihi desperationis scorpionem, ut sicut scorpio in extremitate caudæ habet venenum, ita et ego in extremo vitæ meæ reservem peccatum, blandi-

arque mihi in illecebris mundi, sicut scorpio in facie blandiri videtur? Peto etiam a te panem caritatis Christi, qua se sicut panis omnibus communicat, ut semper gaudeam in salutari tuo. Numquid lapidem dabis mihi, hoc est cordis duritiam? Absit. Cur itaque diffidam petere et impetrare magna a te, Domine, qui me excitas et invitas ad petendum et pulsandum usque ad importunitatem? Quid vero tibi gratum magis et mihi salubrius petere possum, quam ut reddas mihi lætitiam salutaris tui? Iam gustavi quam dulcis sit Dominus, quam leve et suave sit onus eius. Memor sum quanta pace, quanta animi tranquillitate fruebar, quando in Domino gaudebam et exultabam in Deo Iesu meo. Ideo nunc magis doleo quia scio quid perdidi, scio quam maxima bona amisi: 40 ideo importune clamo, Redde mihi lætitiam salutaris tui, redde quod per peccata mea abstulisti, redde quod mea culpa perdidi. Redde, obsecro, per merita eius qui semper stat ad dexteram tuam et interpellat

pro nobis ; ut per ipsum sentiam te mihi placatum, ut sit signaculum super cor meum, ut dicam cum Apostolo, Christo confixus sum cruci : vivo autem iam non ego : vivit vero in me Christus. Verum quia magna est fragilitas mea, Spiritu principali confirma me, ut nullis perturbationibus a Christo separari valeam, nullis terroribus a te recedere, nullis cruciatibus infirmari. Non enim virtus mea tanta est, ut pugnare possit cum antiquo serpente et ei prævalere. Petrus me docuit quanta sit infirmitas mea. Ipse vidit te, Domine Iesu, et familiarissime comitatus est ; gloriam tuam in monte gustavit quando transfiguratus
41 es, vocem Patris audivit, mira opera tua oculis suis conspexit ; ipse quoque virtute tua miracula plura fecit ; super aquas pedibus ambulavit ; verba tua tam potentia, tam suavia quotidie audivit ; ferventissimæ fidei videbatur, dicebatque se paratum tecum et in carcerem et in mortem ire ; et cum negationem ipsius denunciares ei, non tibi credebat, in virtute sua con-

fidebat, magis sibi homini quam tibi Deo fidem adhibebat. At cum ancilla dixit ei, Tu de illis es, illico territus negavit. Venit alia ancilla et dixit, Vere tu ex illis es. Iterum negavit. Non potuit coram muliercula stare; quomodo stetisset coram regibus et tyrannis? Et cum iterum ab astantibus interrogaretur et accusaretur, cepit iurare et detestari quia non novisset te. Quid, putas, dicebat? Arbitror quod per Deum et per legem Moysi iurabat quod te non noverat, et detestabatur dicens, Putatis vos me discipulum esse huius Samaritani, dæmoniaci, seductoris, qui nostram legem destruit? Ego autem dis- 42
cipulus sum Moysi: hunc autem nescio unde sit. Deo gratias quia cessavit interrogatio. Si enim non cessasset interrogatio, nec quidem cessasset negatio. Mille interrogationes mille fecissent negationes, immo mille periuria et detestationes. Sed hæ interrogationes fuerunt verba. Quid, rogo, si Iudæi venissent ad verbera? Nihil certe reliquisset Petrus quo se

per negationes et periuria, per detestationes et blasphemias de manibus eorum explicuisset. Tu autem, pie Domine, respexisti eum ; et statim peccatum suum cognovit. Nec tamen ausus est in medium prosilire et confiteri te Filium Dei esse, quia nondum confirmatus est virtute ex alto. Nam procul dubio iterum negasset si flagella sibi præparata vidisset : ideo maturiore consilio egressus est foras, et flevit amare. Tu vero post resurrectionem tuam apparuisti ei ; consolatus es eum : nihilominus latebat propter metum
43 Iudæorum. Vidit te in cælum tam gloriose ascendentem, et angelorum visione consolationeque comfortatus est ; nec tamen adhuc in publicum audebat prodire. Experientia quippe didicerat fragilitatem suam : probaverat infirmitatem : ideo expectabat promissum Spiritum Sanctum. Venit et replevit gratia pectus eius : tunc prodiit, tunc loqui cepit : tunc virtute magna testimonium resurrectionis tuæ reddidit : tunc principes sacerdotum et reges non timuit : sed gloria-

batur in tribulationibus, crucemque pro summis deliciis amplexabatur. Itaque, Domine, Spiritu principali confirma me, ut iugiter permaneam in lætitia salutaris tui : alioquin contra tot bella persistere non possum : caro concupiscit adversus spiritum : mundus undique me premit : diabolus non dormit. Da mihi virtutem Spiritus tui, ut cadant a latere meo mille et decem mille a dextris meis, ut sim fidelis et fortis testis fidei tuæ. Si enim Petrus, quem tot muneribus et gratiis dona- 44
veras, ita miserabiliter cecidit, quid ego, Domine, quid facerem ? qui nec in carne te vidi, nec gloriam tuam in monte gustavi, nec miracula tua conspexi ; quinimmo opera tua mirifica vix a longe intellexi, tuamque vocem nunquam audivi ; sed semper in peccatis fui. Spiritu itaque principali confirma me, ut in tuo obsequio perseverare valeam, et dare pro te animam meam.

DOCEBO *iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.* Non hoc, Domine, temeritati ascribas, si docere cupio iniquos vias tuas. Non enim iniquus, infamis, et in vinclis, iniquos docere cupio; sed si reddideris mihi lætitiam salutaris tui, si me Spiritu principali confirmaveris, si me liberum miseris, tunc docebo iniquos vias tuas. Non enim est hoc tibi difficile, quia de lapidibus potes suscitare filios Abrahæ. Nec peccata possunt obstare tibi si volueris hoc facere: quinimmo ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. Paulus spirans minarum et cædis in discipulos Domini potestatem accepit, ut si quos inveniret viros ac mulieres te sequentes tuamque fidem confitentes, vinctos perduceret in Hierusalem. Ibat ergo furiis invectus, sicut lupus rapax, ut oves tuas disperderet, raperet et occideret. Dum ergo esset in via in fervore persequutionis, in actu peccati, dum te persequeretur, dum tuos occidere vellet, dum nulla ei inesset ad gratiam præparatio

nullaque peccati cognitio, quando totis viribus tibi adversabatur, et blasphemabat, teque detestabatur, ecce vox pietatis tuæ super eum dicens, Saule, Saule, quid me persequeris? Qua voce illico prostratus et erectus est: prostratus corpore, erectus mente. Excitasti dormientem, oculis somno gravatis infudisti lucem tuam, ostendisti faciem tuam, effudisti ineffabilem misericordiam tuam. Surrexit mortuus: oculos aperuit. Vidit te et ait, Domine, quid me vis facere? Misisti lupum 46
ad agnum; misisti eum ad Ananiam; baptizatus est et repente Spiritu Sancto repletus; factus est vas electionis ad portandum nomen tuum coram regibus et gentibus et filiis Israel. Continuo ergo ingressus synagogas intrepidus prædicavit te, affirmans quoniam tu es Christus. Disputabat, invalescebat, et confundebat Iudæos. Ecce, Domine, quia statim de persecutore fecisti eum prædicatorem, et talem ac tam magnum ut plus ceteris Apostolis laboraverit. O mira virtus tua! si volueris de iniquo facere iustum, de persecutore

prædicatorem, quis prohibebit? quis resistet tibi? quis dicere poterit, Cur ita facis? Omnia quæcunque voluisti fecisti in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. Non ergo arrogantiæ imputetur, si non mea sed tua virtute docere cupio iniquos vias tuas. Scio enim me nihil tibi offerre posse quod oculis tuæ pietatis magis placeat: hoc sacrificium
47 est omnium maximum, nihil etiam possum offerre mihi utilius. Si ergo me alium in virum mutaveris, docebo iniquos vias tuas—non vias Platonis, non Aristotelis, non implicationes syllogismorum, non philosophiæ dogmata, non rhetorum inflata verba, non negotia secularia, non vias vanitatis, non vias ducentes ad mortem; sed vias tuas et præcepta tua, quæ ducunt ad vitam—non unam viam tantum sed multas vias, quia multa sunt præcepta tua. Omnes tamen istæ viæ terminantur ad unam, omnes enim in una copulantur caritate, quæ adeo coniungit animos fidelium, ut fiat eis cor unum et anima una in

Domino. Vel certe diversæ viæ diversæ vitæ sunt: per aliam namque incedunt clerici, per aliam monachi, per aliam mendicantes. Aliamque tenent matrimonio coniuncti, aliam in viduitate degentes et continentes, aliam virgines. Aliam sequuntur principes, aliam doctores, aliam mercatores. Denique diversi status 48
hominum per diversas vias ad patriam cælestem proficiscuntur. Docebo itaque iniquos vias tuas, unumquemque iuxta conditionem et captum suum. Et impii ad te convertentur, quia prædicabo eis non meipsum sed Christum crucifixum. Ideo non ad laudes meas sed ad te convertentur. Relinquent enim vias suas, ut venientes ad tuas, per eas incedant et ad te perveniant.

LIBERA *me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, et exultabit lingua mea iustitiam tuam.* In multis sanguinibus suffocor, et de profundis eorum clamo ad te, Domine; Domine, exaudi

vocem meam. Ne differas, Domine, quia morti proximus sum ; sanguines mei peccata mea sunt. Sicut enim in sanguine est vita carnis, ita in peccato est vita peccatoris. Effunde sanguinem, moritur animal : effunde per confessionem peccatum, moritur peccator et iustus efficitur. Ego igitur non solum in sanguine
49 involutus, sed etiam in sanguinibus immersus: gurgites sanguinum me trahunt ad inferos. Succurre mihi, Domine, ne peream : libera me de sanguinibus, Deus, qui omnia gubernas et moves ; qui solus potes me liberare ; in cuius manu est omnis spiritus vitæ. Libera me de sanguinibus, Deus, auctor salutis meæ, Deus, in quo solo est salus mea. Libera me, Domine, sicut liberasti Noe de aquis diluvii. Libera me sicut liberasti Lot de incendio Sodomorum. Libera me sicut liberasti filios Israel de profundo Maris Rubri. Libera me sicut liberasti Ionam de ventre ceti. Libera me sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis. Libera me sicut liberasti Petrum de

periculo maris. Libera me sicut liberasti Paulum de profundo pelagi. Libera me sicut liberasti infinitos peccatores de manu mortis et de portis inferni. Et exultabit lingua mea iustitiam tuam; id est, propter iustitiam tuam quam in me sentiam per gratiam 50
tuam. Iustitia enim tua, ut dicit Apostolus, est per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum. Exultabit itaque lingua mea laudando hanc iustitiam tuam, extollendo gratiam tuam, magnificando pietatem tuam, confitendo peccata mea, ut in me laudetur misericordia tua, quæ tam magnum peccatorem dignata sit iustificare; ut cognoscant omnes homines quod salvas sperantes in te, et liberas eos de manu angustiæ, Domine Deus noster.

DOMINE, *labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam.* Magna res est laus tua, Domine, et de tuo fonte procedit, de quo non bibit peccator. Non est enim speciosa laus

in ore peccatoris. Libera ergo me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, et exultabit lingua mea iustitiam tuam. Tunc, Domine, labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam. Tu enim
51 habes claves David, qui claudis et nemo aperit, aperis et nemo claudit. Tunc ergo aperies labia mea, sicut aperuisti labia infantium et lactentium, ex quorum ore perfecisti laudem tuam. Hi profecto fuerunt prophetæ et apostoli, ceteri quoque sancti tui, qui te simplici et puro corde et ore laudabant, non autem philosophi et oratores, qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt: quis noster Deus est? Aperiebant ipsi labia sua; non tu aperiebas ea: ideo ex eorum ore non perfecisti laudem. Infantes tui, Domine, laudabant te, et seipsos despiciebant. Philosophi, dum se laudare gestiebant, seipsos magnificare volebant. Lactentes tui laudabant gloriam tuam, quam per gratiam supercælestem cognoverunt. Philosophi per sola naturalia

te cognoscentes, laudes tuas perfecte exprimere non poterant. Sancti tui te corde et ore et bonis operibus laudabant : philosophi solis verbis et inflata sapientia. Pueri tui in toto terrarum orbe laudes tuas 52
diffuderunt ; philosophi vix paucis discipulis prædicaverunt. Amici tui laudibus tuis innumerabiles homines a peccatis ad virtutes et ad veram felicitatem convertebant ; philosophi nec veras virtutes nec veram felicitatem cognoscebant. Dilecti tui ineffabilem pietatem tuam, quam ostendisti in Filio caritatis tuæ, prædicaverunt ; philosophi hanc nullo pacto intelligere potuerunt. Ex ore igitur infantium et lactentium perfecisti laudem tuam. Semper enim tibi placuit exaltare humiles et humiliare superbos. Quia ergo superbis semper resistis, da mihi veram humilitatem ut ex ore meo perficias laudem tuam. Da mihi cor parvuli, quia nisi conversus fuero sicut parvulus, non potero introire in regnum cælorum. Fac me sicut unum de infantibus et lactentibus tuis, ut semper

pendeam ad ubera sapientiæ tuæ, quia meliora sunt ubera eius vino, et melior est sapientia cunctis opibus,
53 et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei. Si ergo me parvulum feceris, laudem tuam in ore meo perficies. Tunc enim aperies labia mea, et os meum annunciabit laudem tuam. Annunciabit quippe perfecte, sicut ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.

QUONIAM *si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.* Os meum, Domine, annunciabit laudem tuam. Scio enim hoc tibi gratissimum esse cum per prophetam dicas, Sacrificium laudis honorificabit me: illic iter quo ostendam illi salutare meum. Offeram itaque laudem tibi, laudem, inquam, infantium et lactentium pro omnibus peccatis meis. Et quare laudem potius

quam sacrificium offeram tibi pro peccatis meis? quoniam si voluisses sacrificium dedissem; utique holocaustis non delectaberis. Nunquid sanguine hircorum 54
aut vitulorum placari poteris? nunquid manducabis carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabis? An aurum quæris qui cælum et terram possides? Num vis ut corpus meum sacrificem tibi, qui non vis mortem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat? Castigabo tamen cum mensura carnem meam, ut per gratiam tuam rationi subiecta sit eique deserviat. Nam et in hoc si mensuram excessero, mihi imputabitur ad peccatum. Rationabile, inquit Apostolus tuus, obsequium vestrum. Tu quoque dixisti per prophetam, Misericordiam volo et non sacrificium. Igitur os meum annunciabit laudem tuam; quia hæc oblatio honorificat te, et pandit nobis iter ad salutare tuum. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, paratum per gratiam tuam ad omnia quæ tibi grata sunt facienda. Hoc unum inveni tibi acceptissimum; hoc

offeram tibi; hoc semper erit in corde meo, hoc
55 personabunt labia mea; quoniam si voluisses sacrificium corporale utique dedissem. Paratum enim cor meum per gratiam tuam ut impleat voluntatem tuam: sed huiusmodi holocaustis non delectaberis. Corpora enim fecisti propter spiritus: ideo tu spiritualia non corporalia quæris. Dicis enim in quodam loco, Fili, præbe mihi cor tuum, hoc est, sacrificium quod tibi placet. Cor dolore peccatorum et amore cælestium bonorum inflammatum offeratur tibi, et nequaquam amplius repetatur. Huiusmodi holocausto tu delectaberis.

SACRIFICIUM *Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Spiritus quidem contribulatus, non caro contribulata tibi placet. Nam caro contribulatur, quia terrena quæ optat non habet, vel certe in se sentit quæ odit. Spiritus vero contristatur de culpa, eo quod fit contra

Deum quem amat. Dolet se suum Creatorem et Redemptorem offendisse, se sanguinem eius despexisse, 56
se tam bonum et dulcem Patrem contempsisse. Hic ergo spiritus contribulatus sacrificium est tibi odoris suavissimi; ex aromatibus enim amarissimis, id est, ex memoria peccatorum, conficitur. Dum enim peccata in mortariolo cordis colliguntur et pistillo compunctionis contunduntur, in pulveremque rediguntur, atque aquis lacrimarum humectantur, inde fit unguentum et sacrificium suavissimum tibi; quod oblatum nequaquam despicies. Nam cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Qui ergo cor durum, saxeum, ex durissimis peccatorum lapidibus constructum, frangit et conterit, ut inde unguentum conficiat contritionis in abundantia lacrimarum, et de peccatorum multitudine aut gravitate minime desperans, humiliter tibi huiusmodi sacrificium offert, nullo modo a te despicietur; quia cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Maria Magdalena in civitate peccatrix 57

tale unguentum confecit; in alabastro cordis posuit; domum Pharisæi ingredi non timuit; secus pedes tuos prostrata est; flere inter epulas non erubuit; dolore pressa non loquebatur; sed cor eius in lacrimas solvebatur, quibus lavit pedes tuos, capillis suis tersit, unguento unxit, et osculari non cessavit. Quis vidit unquam tale, aut quis audivit huic simile? Placuit itaque tibi hoc eius sacrificium, et adeo gratum fuit, ut Pharisæo, qui iustus videbatur, eam prætuleris. Verbis enim tuis insinuasti tantum distare inter iustificationem Mariæ et iustitiam Pharisæi quantum inter se distant lavare pedes aqua et abluere lacrimis, osculari semel faciem et non cessare osculari pedes, ungere caput oleo et ungere pedes unguento pretiosissimo. Quinimmo longe amplius Maria præstabat Pharisæo, quia ipse nec aquam nec osculum nec oleum tibi exhibuerat. O magna virtus tua, Domine, magna potentia tua, quæ se parcendo et
58 miserando manifestat. Video igitur quia cor contritum

et humiliatum, Deus, non despicies. Idcirco cor huiusmodi tibi offerre studeo; nec oportet me hoc verbis suadere, quia tu es Deus qui scrutaris renes et corda. Suscipe ergo et hoc sacrificium meum, quod si forte imperfectum est, tu qui solus potes ipsum perfice, ut fiat holocaustum, id est, totum incensum ardore tuæ immensæ caritatis, ut tibi placeat, aut ut ipsum saltem non despicias. Si enim non despexeris, scio quod inveniam gratiam coram te, et posthac nullus sanctorum tuorum sive in cælo sive in terra me despiciet.

BENIGNE *fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ierusalem.* Quia enim scriptum est, Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris, valde cupio omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire: hoc enim et eis necessarium et mihi utile

59 esset; nam eorum orationibus, meritis et exemplis resurgerem, et ad meliora quotidie provocarer. Rogo ergo te, Domine, quamvis peccator, benigne fac in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ierusalem. Sion enim ecclesia tua est; nam Sion interpretatur specula, quia ecclesia tua per gratiam Spiritus Sancti gloriam Dei pro captu huius vitæ speculatur. Hinc Apostolus dicebat, Nos revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu. Domine Deus, quam parva est hodie ecclesia tua: iam totus mundus deficit, nam longe plures sunt infideles quam Christiani. Inter Christianos autem ubi sunt qui relictis terrenis gloriam Domini speculentur? Paucos certe invenies, comparatione eorum qui terrena sapiunt, quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut augeatur merito et numero; respice de cælo, et fac

benigne iuxta consuetudinem tuam, ut ignem cari- 60
tatis de cælo emittas super nos qui consumat omnia peccata nostra : fac, Domine, benigne in bona voluntate tua, ut non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis ; sed fac nobis secundum magnam misericordiam tuam. Tu, Domine, Pater noster et Redemptor noster, tu pax et gaudium nostrum, tu spes nostra et salus æterna ; omnes a te bona exspectant. Dante te illis, colligent ; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur ; auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ. Domine, obsecro, quæ utilitas in damnatione tot millium hominum ? Infernus impletur. Ecclesia quotidie evacuatur. Exsurge, quare obdormis, Domine ? exsurge, et ne repellas in finem. Benigne fac in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ierusalem. Quid 61

est Ierusalem, quæ interpretatur visio pacis, nisi beatorum civitas sancta, quæ est mater nostra? Huius muri corruerunt, quando Lucifer cum angelis suis corruit; in quorum loca assumuntur homines iusti. Benigne igitur fac, Domine, Sion; ut cito impleatur numerus electorum, et ædificentur perficianturque muri Ierusalem ex lapidibus novis, te semper laudantibus et permanentibus in æternum.

TUNC *acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.* Tunc cum benigne feceris in bona voluntate tua Sion, acceptabis sacrificium iustitiæ. Acceptabis, dico, quia igne tuæ caritatis consumes. Sic enim sacrificium Moysi et Eliæ acceptasti. Tunc enim sacrificia iustitiæ acceptas, quando animas quæ iuste vivere satagunt, gratia tua impinguas. Quid prodest sacrificia tibi offerre quando non acceptas ea?
62 O Domine, quot offerimus hodie sacrificia quæ tibi

grata non sunt sed potius abominabilia! Offerimus enim sacrificia non iustitiæ, sed cærimoniæ nostræ; ideo non sunt tibi accepta. Ubi nunc Apostolorum gloria? ubi Martyrum fortitudo? ubi Prædicatorum fructus? ubi Monachorum sancta simplicitas? ubi primorum Christianorum virtutes et opera? Tunc acceptabis eorum sacrificia, quando gratia tua et virtutibus eos exornabis. Si quoque tu benigne feceris Sion in bona voluntate tua, tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, quia populus incipiet bene vivere et mandata tua servare ac iustitiam facere, et super eum erit benedictio tua. Tunc oblationes sacerdotum et clericorum tibi acceptæ erunt, quia relictis terrenis ad puriorem sese vitam accingent; et unctio benedictionis tuæ erit super capita eorum. Tunc grata tibi erunt holocausta religiosorum qui relicto torpore et tepiditate eliminata, incendio divini amoris omni ex parte consummabuntur. Tunc Episcopi et Prædicatores imponent super altare tuum vitulos, quia in 63

omni virtute consummati, et Spiritu Sancto repleti, non dubitabunt ponere animas suas pro ovibus suis. Altare enim tuum quid est nisi crux tua, bone Iesu, super quam oblatus fuisti? Quid vitulus lasciviens significat, nisi corpus nostrum? Tunc ergo imponent super altare tuum vitulos, quando corpora sua offerent cruci, id est, cruciatibus et morti pro nomine tuo. Tunc florebit ecclesia tua; tunc dilatabit terminos suos; tunc laus tua resonabit ab extremis terræ; tunc gaudium et lætitia occupabit orbem terrarum; tunc exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, expectantes nos in terra viventium. Fiat obsecro, Domine, nunc mihi illud *tunc*, ut miserearis mei secundum magnam misericordiam tuam, ut suscipias me in sacrificium iustitiæ, in oblationem sanctimoniæ, in holocaustum religiosæ vitæ, et in vitulum
64 crucis tuæ, per quam transire merear ab hac valle miseriæ ad gloriam illam quam præparasti diligentibus te. Amen.



Expoſicio vel meditacio fratris hieronymi ſavonarole de ferraria ordinis ſacri predicatorū in pſalmū In te dñe ſperaui. quam in vltimis diebz dum vite ſue finem preſtolaretur edidit.

Rusticia obſedit me magno et forti exercitu ballauit me occupauit cor meū clamoribus et carmē: die noctuqz contra me pugnare non ceſſat. Anima mea ſunt in caſtris eius: et facti ſunt michi inimici. Quocūqz video: quocūqz audio vexilla triſticie deſeruit memoria amicorum me contriſtat: recordacio filiorz me affligit: conſideracio clauſtri et celle me angit. Meditacio ſtudiorz meorū dolore me afficit cogitacio pcorz me premit. Sicut enim febre laborātibz: omnia dulcia amara videntur. ita michi oīa in merorē et triſticiā cōmutunt. Magnū profecto omnes ſup cor triſticia hec. Venenū aſpidum: peſtis pnicioſa. murmurat

FACSIMILE OF MS. IN LIBRARY, CORP. CH. COLL.

65 EXPOSITIO vel meditatio fratris Hieronymi Savonarolæ de Ferraria, ordinis Sacri Prædicatorum, in Psalmum, In te Domine speravi, quam in ultimis diebus, dum vitæ suæ finem præstolaretur, edidit.

TRISTITIA obsedit me, magno et forti exercitu vallavit me, occupavit cor meum clamoribus et armis, die noctuque contra me pugnare non cessat. Amici mei sunt in castris eius, et facti sunt mihi inimici. Quæcunque video, quæcunque audio, vexilla Tristitiæ deferunt; memoria amicorum me contristat; recordatio filiorum me affligit; consideratio claustri et cellæ me angit; meditatio studiorum meorum dolore me afficit; cogitatio peccatorum me premit. Sicut enim febre laborantibus omnia dulcia amara videntur, ita mihi omnia in mærorem et tristitiam convertuntur. Magnum profecto onus super cor tristitia hæc; venenum aspidum, pestis perniciosa

murmurat contra Deum, blasphemare non cessat, ad 66
desperationem hortatur. Infelix ego homo! quis me de manibus eius sacrilegis liberabit? Si omnia quæ video et audio vexilla sequuntur, et fortiter contra me pugnant, quis erit protector meus? Quis auxiliabitur mihi? Quo vadam? Quo pacto effugiam? Scio quid faciam. Ad invisibilia me convertam et adducam ea contra visibilia. Et quis erit dux tam excelsi tamque terribilis exercitus? Spes quæ de invisibilibus est. Spes, inquam, contra tristitiam veniet et expugnabit eam. Quis stare poterit contra spem? Audi quid dicat propheta; Tu es, Domine, spes mea, altissimum posuisti refugium tuum. Quis stabit contra Dominum? quis expugnare poterit refugium eius, quod est altissimum? Vocabo itaque eam. Veniet profecto, nec me confundet. Ecce iam venit, gaudia attulit, pugnare me docuit, dixitque mihi, Clama, ne cesses: et aio, Quid clamabo? Dic, inquit, confidenter et ex toto corde, 67

IN te, Domine, speravi: non confundar in aeternum; in iustitia tua libera me. O mira potentia Spei, cuius faciem non potuit tolerare Tristitia. Iam venit consolatio. Clamet et obstrepat nunc Tristitia cum exercitu suo. Premat mundus, insurgant hostes, nihil timeo, quoniam in te, Domine, speravi, quoniam tu es spes mea, quoniam tu altissimum posuisti refugium tuum. Iam ipsum ingressus sum, Spes me introduxit. Non ego imprudenter intravi; ipsa me excusabit coram te. Ecce, inquit Spes, o homo, altissimum refugium Dei; aperi oculos tuos et vide; Deus solus est, solus ipse est substantiæ pelagus infinitum. Cetera ita sunt ac si non essent; omnia enim dependent ab eo, et nisi sustentaret ea, in nihilum repente redirent, quia ex nihilo facta sunt. Considera potentiam eius, qui in principio creavit cælum et terram. Numquid non ipse omnia in
68 omnibus operatur? Quis potest movere manum sine eo? quis potest a se aliquid cogitare? Pensa sapien-

tiam eius qui in tranquillitate omnia gubernat, qui omnia videt, et cuius oculis omnia sunt nuda et aperta. Hic est qui solus te liberare scit et potest, solus consolari, solus salvare. Noli confidere in filiis hominum in quibus non est salus. Cor hominum in manu eius; quocunque voluerit vertet illud. Hic est qui potest et scit te iuvare. An forte tibi est suspecta voluntas? Pensa bonitatem eius. Considera dilectionem. An non ipse est amator hominum, qui pro hominibus factus est homo, et pro peccatoribus crucifixus? Hic vere est pater tuus qui te creavit, qui te redemit, qui tibi semper bene fecit. Nunquid poterit pater relinquere filium suum? Proiice te in eum et excipiet et salvabit te; scrutare scripturas et invenies quam studiose tanta pietas te monet, ut speres in eum. Cur hoc? Nempe quia salvare vult. Quid enim per prophetam dicit? Quoniam in me speravit, liberabo eum. Ecce quia nulla alia causa 69
eum liberare vult, nisi quia speravit in eum. Et

quid prophetæ, quid apostoli, quid denique ipse apostolorum Dominus prædicaverunt, nisi ut homines in Domino sperarent? Sacrificate itaque, homines, sacrificium iustitiæ et sperate in Domino, et ipse liberabit vos et eruet ab omni tribulatione. O magna virtus spei! nimirum diffusa est. Diffusa est enim gratia in labris tuis. O vere altissimum refugium tuum, Domine, ad quod malum tristitiæ accedere non poterit. Hæc cognovi et intellexi; ideo in te, Domine, speravi: quanquam enim peccatorum moles me graviter premat, tamen desperare nescio, quia bonitas tua tam benigne ad sperandum me provocat. Ideo non confundar in æternum. Potero quidem in tempore confundi, non tamen in æternum. Spes enim quæ introduxit in altissimum refugium tuum, non me docuit sperare temporalia sed æterna. Nam spes de invisibilibus est; quæ autem videntur temporalia sunt, quæ vero non videntur æterna. Audiens itaque ego verba Spei quæ me eripere de manibus Tristitiæ venit, in te Domine

speravi, cupiens ante omnia a peccatis liberari, et per 70
misericordiam et gratiam tuam ad æterna quæ non
videntur pervenire. Hoc primum desiderium meum;
mea enim peccata sunt maxima tribulatio. Ab
hac enim omnis alia tribulatio proficiscitur. Tolle,
Domine, peccata mea, et liber sum ab omni tribula-
tione. Nam tribulatio et angustia de fonte cordis
procedunt, omnis enim tristitia ex amore provenit.
Si amo filium et moritur, tribulor, quia perdidi quod
amabam. Si servum non amo et moritur, non con-
tristor, quia perdidi quod non amabam. Tolle ergo,
Domine, peccata mea per gratiam tuam. Quid restat
nisi ut te ex toto corde diligam et omnia temporalia
ut vana contemnam? Si ergo te habeo per fidem, a
quo etiam id spero quod oculus non vidit nec auris
audivit nec in cor hominis ascendit, quid me poterit
conturbare? Quicquid præter Deum amisero, perdidi
quod non amo. In te itaque, Domine, speravi, quo- 71
modo spes mea sperare me docuit; ideo non confundar

in æternum, quia mihi dabis æterna. Qui autem non sperat in te, sed in vanitate sua, confundetur in æternum, quia ad æternam confusionem descendet. Potero quidem confundi temporaliter et a te et ab hominibus, sed non confundar in æternum. A te quippe, dum peto liberari ab angustia temporali et fortassis non exaudies me, confundar tunc quidem temporaliter, at non confundar in æternum; non enim expedit mihi, quia virtus in infirmitate perficitur. Ab hominibus vero temporaliter confundor, et prævalent adversum me, quando persequuntur me; sed hoc etiam permittitur a te, ut in æternum non confundar. Si ergo ante te mille anni sunt tanquam dies hesterna quæ præteriit, confusiones temporales libenter sustinebo, ut non confundar in æternum. Sperabo in Domino,
72 quomodo spes mea me sperare docuit, et cito ab omni tribulatione liberabor. Quibus meritis liberabor? Non meis Domine; sed in tua iustitia libera me. In iustitia tua, dico, non mea. Ego enim miseri-

cordiam quæro, non meam iustitiam offero. Sed si per gratiam tuam me iustum reddideris, iam habeo iustitiam tuam. Gratia enim tua in nobis est iustitia tua. Pharisæi confidebant in operibus iustitiæ, confidebant quidem in iustitia sua, et ideo iustitiæ Dei non fuerunt subiecti, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo. Iustitia autem Dei apparuit per gratiam Iesu Christi etiam sine operibus legis. Philosophi gloriabantur in iustitia sua, et ideo non invenerunt iustitiam tuam, quia non intrabant per ostium. Fures erant et latrones, qui venerant non ad salvandum sed ad perdendum et mactandum oves. Gratia ergo tua iustitia tua, Domine. Et gratia 73
iam non esset, si ex meritis daretur. Ergo non in iustitia mea, sed in iustitia tua, libera me a peccatis meis; vel certe libera me in iustitia tua, id est, in Filio tuo qui solus inter homines inventus est iustus. Quid ergo est Filius tuus nisi Ipsa Iustitia in qua omnes iustificantur? In tua ergo iustitia iustifica me

et libera me a peccatis meis, ut liberer etiam ab aliis tribulationibus, quas propter ea patior, ut remota causa removeatur et effectus. Ecce te, Domine, rogavi et consolatus sum; spes ita me docuit; gavisus sum, quia in te, Domine, speravi; ideo non confundar in æternum. Tristitia rediit, cum magno apparatu reversa est, gladiis et lanceis undique munita est, magno impetu graditur, iam civitatem nostram circumcinxit. Terruit me clamor equitum eius; foris stans silentium indixit et procul locuta est. O, inquit, ecce qui speravit in Domino, qui dixit, Non confundar in æternum, qui spem consolatricem secutus est. Et cum
74 me ad hæc verba erubescere conspexit, appropians ait, Ubi tuæ spei promissa? ubi consolatio? ubi liberatio? quid tibi profuerunt lacrimæ? quid orationes tuæ tibi attulerunt de cælo? Clamasti, nemo respondit tibi. Flevisti, et quis misericordia motus est super te? Invocasti Deum tuum, et ipse tacuit. Rogasti eum et obsecrasti, et non fuit vox neque sensus. Im-

plorasti omnes sanctos, et nullus eorum respexit te. Ecce, quid tibi attulerunt verba Spei? Laborasti, et nihil in manibus tuis invenisti. An putas quia Deus hæc inferiora respiciat? Circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat. Hæc illa blasphemans aiebat, et cum ad verba eius horrescerem, appropians in aure locuta est, dicens, Putas vera esse quæ fides prædicat? Vis videre ea hominum esse commenta? Vel ex hoc cognosce, quia si Deus factus esset homo et pro hominibus crucifixus, non posset tanta pietas hominem maximo mærore confectum ad se clamitantem 75
et lacrimantem non consolari. Si, ut aiunt, bonitas infinita eum de cælo descendere fecit, ut crucem subiret, quomodo nunc ad homines miseros non descenderet ut eos consolaretur? Hoc certe facilius est, et eadem pietate subveniendum. Cur angeli et beati, si tam pii sunt, non ad te consolandum veniunt? Quot, putas, homines, si possent, ad te venirent, et verbis et operibus, quantum facultas daretur, te lætificarent,

quin etiam ab omni angustia liberarent? Cur hoc non faciunt beati, qui longe meliores hominibus esse creduntur? Mihi crede, casu omnia reguntur; non sunt nisi ea quæ videntur. Spiritus vester evanescet sicut fumus. Quis unquam reversus ab inferis nuntiavit aliquid de iis quæ dicuntur post mortem animabus evenire? Fabulæ sunt hæc muliercularum. Surge ergo et ad auxilia hominum confuge, ut de isto carcere solutus taliter vivas, ut non frustra ab ista
76 tua spe deceptus semper labores. His dictis tantus clamor auditus est in castris eius, tantus armorum strepitus ac turbarum clangor, ut vix subsistere potuerim; et nisi Spes mea dilecta mihi auxilium præstitisset, vinctum catenis me ad suam regionem Tristitia deduxisset. Venit itaque Spes divino quodam splendore corusca et subridens dixit, Eia, miles Christi, quid tibi cordis, quid tibi animi est in isto certamine? Quod audiens, illico erubui. Et illa, Noli timere; non capiet te malum; nequaquam peribis; ecce tecum sum

ut liberem te. An nescis quia scriptum est, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus? Quasi una de stultis mulieribus locuta est Tristitia hæc. Numquid tibi persuaderi poterit non esse Deum, non habere providentiam omnium? An poteris de fide dubitare tu qui tot argumentis et rationibus eam roborasti? Miror te adeo ex eius verbis esse prostratum. Dic, obsecro; num in corde tuo de fide dubitare cepisti? 77
Vivit Dominus et vivit anima mea, O mater mea dulcissima; quia nec minimum infidelitatis stimulum sensi. Nam per Christi gratiam non minus credo vera esse quæ fidei sunt, quam ea quæ oculis corporeis cerno. Verum tristitia adeo me premebat, ut potius traherer ad desperationem quam ad infidelitatem. Fili, scias hoc magnum donum esse Dei. Nam fides donum est, non ex operibus ne quis glorietur; exsurge ergo et noli timere, sed potius ex hoc cognosce quia non reliquit te Dominus; qui etsi non cito exaudit, non est desperandum; si moram fecerit, expecta eum: quia

veniens veniet, et non tardabit. Agricola patienter expectat fructum in tempore suo. Natura non statim introducit formam, cum aliquid generat; sed primum materiam præparat, et paulatim disponit donec susceptioni faciat idoneam. Scias tamen Dominum semper pie et humiliter orantes exaudire; nunquam enim vacui
78 ab eo recedunt. Nec rationibus hoc probare contendam, eo quod in te ipso hoc senseris. Dic mihi, quis cor tuum ad Deum levavit de terra? quis te ad orandum perduxit? quis dolorem peccatorum et lacrimas tribuit? quis spem dedit? quis te hilarem in oratione et post eam reliquit? quis te in sancto proposito quotidie confirmavit? Nonne Dominus qui omnia in omnibus operatur? Si igitur hæc tibi iugiter dona largitur, cur dicit illa feminarum pessima, Ubi sunt orationes tuæ? ubi lacrimæ? et cetera verba blasphemiæ? An nescis quia distincta est cælestis Ierusalem ab ista terrestri? An ignoras quia nec conveniens nec necessarium nec item utile est Deum, seu angelos et sanctos eius,

visibiliter ad homines descendere, et eis familiariter loqui? Conveniens quippe non est propter distantiam meritorum. Quæ enim conventio lucis ad tenebras? num enim bene conveniunt viatores et comprehensores? diversæ civitates diversos habent cives. Verum quibusdam propter excellentiam sanctitatis cum sint iam 79
patriæ vicini, datum est angelos videre et eos alloqui; sed speciale privilegium non omnes tangit. Necessarium autem non est, quia cum invisibiliter beati nos gubernent et illuminent et consolentur, non est opus visibiles apparitiones adhibere; quamquam Dominus adeo bonus est ut apparitiones etiam visibiles, cum opus fuit, nunquam prætermittat. Quid enim potuit facere pro nostra salute et non fecit? Utile quoque non est, quia nimia familiaritas parit contemptum. Nam Iudæis miracula et magna et multa nihil profuerunt. Rara enim pretiosa sunt. Sufficiat ergo tibi invisibilis visitatio. Scit enim Dominus quid opus sit tibi. An non ipse consolatus est te? Scio quid in tuo corde

sensisti. Surge ergo et ad orationem revertere. Clama, pete, quære, persevera; quia si non dabit eo quod amicus eius sis, propter tamen importunitatem
80 dabit omnia quæ sunt necessaria. His verbis consolatus surrexi, et prostratus ante Deum prosecutus sum orationem meam, dicens,

NCLINA ad me aurem tuam, accelera ut eruas me. Domine Deus meus, ad te revertor. Spes me misit; non mea præsumptione venio. Bonitas tua me invitat; misericordia tua me trahit. O quanta dignatio! Gaudeo plane; nec mihi alia superest consolatio; felix profecto ista necessitas quæ me ad Deum venire compellit, quæ me cogit loqui cum eo, quæ me urget orare. Loquar igitur ad Deum meum, quamvis sum pulvis et cinis. Inclina ad me aurem tuam. Quid ais, anima mea? Num Deus habet aures? Num ipse corpus est? Absit. Cum enim longe melior sit spiritus corpore, quis

asserat Deum esse corpus nisi insanus? Sed balbutiendo, ut possumus, Domine, excelsa tua resonamus. Cognoscimus te per creaturas; loquimur tibi et de te per earum similitudines. Auris itaque tua, Domine, 81
quid est? an forte cognitio tua? Nam per aures intelligimus ea quæ nobis dicuntur. Tu autem omnia quæ loquuntur et cogitant homines ab æterno cognovisti. Num ergo per aurem tuam accipere possumus cognitionem tuam? Aliquid profecto insinuat mihi auris tua quod non capitur in nomine simplicis cognitionis tuæ. Nam quibusdam inclinas aurem tuam, aliis vero avertis eam. Cognitio autem tua semper eadem permanet. Quid ergo auris tua, nisi approbationis et reprobationis notitia tua? Inclinas aurem tuam et audis verba iustorum, quia tibi placent et approbas ea. Avertis aurem tuam a verbis impiorum, quia ab impietate recedere nolunt, quia tibi non placent et reprobas ea. Quid est ergo inclinare aurem tuam loquentibus tibi, nisi eorum orationes approbare,

et eos vultu pietatis aspicere, illuminare et accendere,
82 ut cum fiducia et caritatis fervore te orent teque deprecentur, quia eis dare vis quod humili pietate postulant? Nam si rex pauperi cupienti loqui cum eo vultum hilarem ostendat, oculos ad eum convertat, et attentum verbis eius se demonstret, nonne lætabitur pauper? Nonne facies et attentio regis eloquium ei præstabit? Nonne verba et facundiam subministrabit? Ita, Domine, intelligimus te ad nostras preces tunc inclinare aurem tuam, quando nos in oratione spiritu fervere concedis. Rogo ergo te, Domine, inclina ad me aurem tuam; approba orationem meam; illumina me; accende me; doce quid petere debeam; eleva sursum cor meum, ut tandem exaudias deprecationem meam. Accelera ut eruas me. Abbrevia dies, festina tempus. Ita inclina ad me aurem tuam, ut cito merear exaudiri. Tibi enim qui habitas æternitatem omne tempus breve est. Æternitas namque tota simul comprehendit et in immensum excedit

totum tempus universum. At mihi quælibet dies 83
longa est. Nam tempus est numerus motus; qui
enim motum non sentit, nec quidem tempus sentit;
at qui sentit motum et tempus sentit. Maxime autem
motum sentit qui numerat partes eius. Ego itaque
quia numero dies et horas, maxime tempus sentio,
et ideo, sicut tibi mille anni tanquam dies hesterna
quæ præteriit, ita mihi una dies tanquam mille anni
qui venturi sunt. Accelera ergo, Domine, ut eruas
me a peccatis et adversitatibus meis. Nam mors
properat, et in omni loco me expectat. Accelera,
Domine, ne forte præoccupatus ab ea non habeam spa-
tium pænitentiæ. Erue me, Domine, de manu maligni,
libera me de vinculis peccati, eripe me de laqueo
mortis, educ me de profundo inferni, salva me ab
oppressione et dura servitute Tristitiæ, ut anima mea
exsurgat et lætetur in te, et benedicat tibi omnibus
diebus vitæ suæ. Gratias tibi, Domine, per Iesum
Salvatorem meum, quia secundum multitudinem dolo- 84

rum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Ego igitur semper in te sperabo, et adiiciam super omnem laudem tuam. Tu autem, Domine, inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me. Heu me miserum! Ecce iterum Tristitia terribilibus armis instructa! Vexillum iustitiæ præcedit eam. Innumerabilis exercitus sequitur pedes eius; unusquisque lanceam habet in manu sua; vasa mortis circumquaque conspicio. Væ mihi, quia perii. Voce horribili clamat, 'O miser, Spes illa tua te decepit; ecce laborasti in vanum; dixisti enim, Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me. Nunquid inclinavit ad te Deus aurem suam? nunquid exaudita est oratio tua? Ubi liberatio? ubi consolatio? Num acceleravit eruere te? Adhuc vinctus es; nihil erga te innovatum est. Si credis fidem esse veram, cur spem solam amplecteris? An nescis quia Deus
85 iustus est? an ignoras iustitias eius? Angelis suis non pepercit, non misertus est eis, neque miserabitur.

Propter unum peccatum tantum damnati sunt in perpetuum. Adam peccavit, et iustitia Dei totum genus morte punivit. An putas Deum non ita amare iustitiam sicut misericordiam? Pueri in originali peccato decedentes nunquam videbunt faciem Dei. Adeo enim severa est iustitia Dei, ut propter peccatum quod ipsi non fecerunt sed contraxerunt, æterna pœna plectantur. In inferno autem nulla est redemptio. Nescis quia Deus non parcit delinquenti? Nonne tempore Noe perdidit fere totum genus humanum? Nonne Sodomam et reliquas civitates ei adhærentes igne consumpsit; nec iustitia divina infantibus et innocentibus saltem compassa est? Quoties Iudæos peccantes punivit. Nonne Ierusalem per manum Nabucodonosor funditus evertit? Templo quoque suo non pepercit. Quod etiam a Tito Romanorum principe factum est, ubi tam crudeli animadversione gravati sunt Iudæi 86
ut nemo sit qui audiens non expavescat. Sed vide quam dura sit iustitia divina. Filii pro patribus

usque in hodiernum diem puniuntur. Ecce Iudæi ubique terrarum servi sunt; et in cæcitate sua morientes pœnis cruciantur æternis. An putas quia maior sit misericordia Dei quam eius iustitia? Equidem in ipso Deo neque maior neque minor est. Quicquid enim est in Deo est substantia eius. Sed opera iustitiæ et misericordiæ consideremus. Nimirum opera iustitiæ excedunt opera misericordiæ. Deus ipse testis est qui ait, Multi sunt vocati pauci vero electi. Pensa, obsecro, quot infideles damnantur, quot mali Christiani, quam pauci bene vivunt, et facile intelliges longe plura esse vasa iustitiæ quam misericordiæ. Electi enim Dei vasa sunt misericordiæ, reprobi vero vasa iustitiæ. Non te sperare faciat Maria Magdalena, non latro, non Petrus, non Paulus. Maria
87 enim una fuit, latro unus, Petrus unus, Paulus item unus. An putas te inter paucos connumerandum, qui tot et tam magna peccata commisisti, qui scandalum in ecclesia fuisti, qui cælum et terram offendisti?

Ecce flevit oculus tuus, cor tuum misericordiam imploravit, et adhuc misericordiam non es consecutus. Tot orationes eorum qui diligebant te non fuerunt exauditæ. Quare hoc? Nimirum quia inter vasa iustitiæ computaris. Spes illa tua frustra te laborare fecit. Sequere consilium meum. Cælum te respuit, terra te non recepit. Confusionem hanc magnam quis tolerare possit? Melius est tibi mori quam vivere. Elige mortem, quam si nullus infert, mitte tu manus in teipsum.' Hæc illa mira importunitate ingerebat, totusque exercitus eius magnis vocibus congeminabat, dicens, Mors sola refugium tuum, mors sola refugium tuum. Ego vero hæc audiens expavi, et illico in faciem cecidi, eiulans et dicens, Domine, 88
adiuva me, Domine, ne derelinquas me. Spes mea veni, spes mea veni. Ecce subito Spes de cælo micans descendit, et tetigit latus meum et levavit me, statuitque me super pedes meos, et ait, 'Usque quo parvulus eris? Quam diu tirunculus esse voles?

Totiens in bello fuisti et in medio umbræ mortis ambulasti, et nondum certare didicisti? Noli turbari de magna iustitia Dei, confortare pusillanimis. Timeant qui ad Dominum non convertuntur, qui ambulant in viis suis, qui sequuntur vanitates, qui viam pacis non cognoverunt. Paveant impii qui peccant et dicunt, Quid feci? qui non convertuntur ad cor, qui vocantur et venire renuunt, ignorant Deum, et nolunt intelligere ut bene agant. Hi ergo timeant. Quid dicit Apostolus? Horrendum est incidere in manum Dei viventis. Tales profecto iustitia Dei punit; huiuscemodi homines ad eam spectant. At peccatores qui ad se reversi surgunt et
89 ad patrem misericordiarum currunt, dicentes, Pater, peccavi in cælum et coram te, sed propitius esto mihi peccatori, confidant in Domino, quia qui eos traxit procul dubio suscipiet et iustificabit. Proferat in medium hæc ipsa Tristitia (si potest) aliquem peccatorem quantumlibet magnum, qui ad Dominum con-

versus sit, et non fuerit ab eo susceptus et iustificatus. Quamvis enim de Esau scriptum sit, Non invenit pœnitentiæ locum quamquam cum lacrimis inquisisset eam, hoc non obstat nostræ sententiæ, quia Esau non flevit propter peccata commissa sed propter bona temporalia amissa, quæ recuperare non potuit. Nec putes iustitiam ita respicere impios ut a misericordia penitus separetur, nec misericordiam ita ad iustos spectare ut a iustitia seiungatur. Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas. Nam et peccatoribus misericordiam facit, dum eis propter bona quæ temporaliter agunt temporalia dona retribuit, et post hanc vitam eos non quantum merentur punit. Electos quoque sua iustitia prosequitur, dum pro culpis eos temporaliter affligit, ne pœnis deputentur æternis. 90
Tu igitur patienter interim sustine Dominum; peccasti enim; pœnitentiam age. Sufficiat tibi remissio culpæ per gratiam eius. Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris.

Quem enim diligit Deus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Persevera ergo in disciplina; tanquam filio tibi offert se Deus; et quamvis pauci sint electi comparatione eorum qui reprobi sunt, innumerabiles tamen sunt qui salvantur. Nec una tantum est Maria Magdalena, nec tantum unus latro, unus Petrus, unus Paulus; quia innumerabiles secuti sunt eorum vestigia, pœnitentiam agentes et a Domino suscepti, multis magnisque gratiæ muneribus decorati. Nec minor est misericordia in operibus suis quam iustitia; nam tam magna bona misericordia iustis præstat, ut opera eius opera iustitiæ in immensum excedant. An nescis, quia misericordia Domini plena
91 est terra? Quænam creatura potest gloriari se aliquid habere et non accepisse illud a misericordia? Si autem graviter Deum offendisti, maior est eius misericordia quam omnia peccata mundi. Noli turbari propter multitudinem et gravitatem peccatorum. Nonne misericordia iam occurrit tibi? Nonne oscu-

lata est te? Ecce cecidisti et non es collisus. Quare? Numquid tu non es vas fragile, quod cum ceciderit conteratur necesse est, nisi quis supponat manum suam? Quare ergo cadens non es contritus? Quis supposuit manum suam? Quis, inquam, nisi Dominus? Signum hoc magnum electionis tuæ; electus enim cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponet manum suam. Nonne scribit Apostolus, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, et a Deo omnia, ut etiam ipsum peccatum eis cooperetur in bonum? Nonne eis ille casus cooperatur in bonum, unde humiliores efficiuntur et cautiores? Nonne Dominus cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur? Dilexisti Dominum pluribus annis; 92
pro eius amore laborasti. Elevasti deinde cor tuum et in vanitate sensus tui ambulasti; subtraxit Dominus manum et cecidisti, et in profundum maris descendisti. Verumtamen dignatio Domini statim supposuit manum suam et non es collisus. Dic ergo, Impulsus, eversus

sum ut caderem, et Dominus suscepit me. Non sic impii; non sic quos Deus reprobavit. Cadentes autem non adiicient ut resurgant, sed aut pudore noxio excusant peccata, aut fit eis frons meretricis, et iam nec Deum timent nec hominem reverentur. Surge itaque, et forti animo esto; confortare, et esto robustus; expecta Dominum et viriliter age; confortetur cor tuum et sustine Dominum. Probasti virtutem tuam quam nulla sit. Humiliare ergo iam sub manu potente Dei, et amodo cautior esto. Patientia tibi necessaria est. Sine intermissione ora, et Dominus exaudiet te in tempore opportuno. Surge itaque et omnem tristitiam a te repelle. Pedes
93 Domini amplectere, et ipse salvabit et liberabit te.' His dictis rapta est in cælum, me confortatum et miro modo consolatum relinquens; quam statim ex toto corde prosecutus ante Deum steti, et ad pedes mei Salvatoris provolutus confidenter dixi,

